Illustrissimo Principi.

Illustrissime Princeps, status Ecclesiæ Leydanæ non mediocriter afflictus
nos a vestra Excellentia opem implorare cogit. Magistratus enim eiusdem
Civitatis proposuit Ecclesiæ nostræ novam & huc usque inauditam regimi
nis Ecclesiæ formam. Scilicet, quum ad hunc usque diem receptum si
ut qui à Synedrio electi & consensu totius Ecclesiæ digni iudicati sunt
qui munere defungantur, eorum ad Magistratum nomina deferantur,
nunc non ita pridem immutatione facta Magistratus iubet a Synedrio
nominari duplum eorum numerum, quos iudicabit ad id munus idoneos
ex quibus dimidiam partem eliget Magistratus, quos recipere nolens
cogitur Cœtus Ecclesiæ universus, quum timeat potissimum ex
Magistratu nomen Ecclesiæ deterius.

Secundò, stipendium quod quarto Ministro solet persolvi in tres Seni
ores à Magistratu, eoque solo electos, & nominatos distribuunt, quos
volunt in Synedrio esse perpetuos.

Tertiò duos ex Magistratu ab ipso Magistratu electos adesse iubent
Consistorio, in eoque Ministris & Senioribus Ecclesiæ præsidere.
Quæ omnia non tantum ab ipsa abhorrent rei natura, sed multa
etiam secum trahunt incommoda. Cui mandato Magistratus
Leydensis, quum bona conscientia iudicarent Synedrium se parere
non posse, petijssetque quam posset demississimè ut illam rerum
innovationem non induceret in Ecclesiam; Magistratus per
apparitores claves Consistorij abstulit, interdixitque ne amplius aperi
retur ille locus in quem soliti erant convenire Ministri & Seniores
Ecclesiæ. His de causis moti qui puriorem Religionem Leydæ
profitentur, ad Celsitudinem vestram confugiunt, humillimè
petentes ut velit iubere nihil hoc tempore innovari in dicta Ecclesia,
ne malum inceptum Leydæ ad alias etiam usque Ecclesias perveniat.
Sed si quid videatur à Ministris & Senioribus Ecclesiæ usurpatum
quod possit in melius reformari, ea de re agent in proximo Conven
tu Ecclesiastico Magistratus, & ij quibus melior quædam forma &
magis Ecclesiæ conveniens videbitur requiri. Sic consulet V. C.
illius Ecclesiæ, atque adeo universarum Ecclesiarum Hollandicarum,
quæ cum magno animi dolore hæc audiverunt, tranquillitati. Illæ
autem ut solent Deum opt. max. interpellabunt pro vestræ Celsit.
salute atque adeo Reipub. universæ incolumitate.

Nationaal Archief Den Haag
Oud Synodaal archief 159, p. 417
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/11764